



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Dos Secunda, Omnia fortiter exequenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)



que aut nullius, aut exigui apud DEUM meriti  
apud proximum fructus.

*DOS SECUNDA,*

*Omnia fortiter exequenda.*

**S**ecunda proprietas, & Divinæ Sapientiæ, & Christi Salvatoris est, quod fortiter adhibuerit media, quæ prævisa erant pro fine suo consequendo maximè congrua & efficacia, omniæque ea in opus redegerit, quæ consideratio prævia dictaverat esse facienda. Et hæc fortitudo ac constantia est *anima* cujuslibet actionis Apostolicæ, sinè qua, quidquid etiam ad gloriam DEI, proximique salutem suscipitur, languet, & vel ex ignavò quodam torpore animi opus inchoatum relinquitur, vel ad aliud ex prioris fastidio transfilitur. Tales imbelles Apostoli dantur multi. Nolim ego tibi inculcare fortitudinem Christi à te non imitabilem, v. g. quomodo converterit mundum per pisces, homines rudes, illiteratos, quomodo per miracula totque invictos pugiles, per puellas puerosque debiles suâ gratiâ confortatos, Reges & Principes, orbemque universum belluarum potius, quàm hominum moribus imbutum, jugo suo subjecerit, coegeritque, ut venerandum JESU Nomen adorent cælestes, terrestres, & infernales Potentiæ. Ecce fortitudinem, quam in vocatione tua Apostolica imiteris. Vicit ille occurrentia, ex agrestibus Discipulorum suorum

rum



rum moribus, incredulitate, obstinatione, aliâque tædia; Populum Judaicum non credentem, & continuò contradicentem novis semper doctrinis instruxit, veritatem, nullo respectu humano habito, prædicavit, nulli labori, nulli ærumnæ in fame, siti, frigore, aliisque incommodis pepercit, nulli adversitati, contradictioni, persecutioni cessit, propriam demum vitam suam & sanguinem immolavit, tam infanda in passione ac morte sua passus, ut scilicet exequeretur illa, quæ ad salutem humani generis necessaria aut utilia esse præviè cognoverat. Et hanc fortitudinem Christi, ut pro modulo tuo Vir Apostolice imiteris, necessum est. Non imitaris autem: & cur? fatère, quod res est. Animi tui languor, & in exequendis mediis ad salutem proximi necessariis vel proficuis, tegnitates ac inconstantia provenit à natura tua corrupta. Quæ, quia in eorum executione sua comoda non invenit, quia fomenta sensualitati subservientia non accipit, quia laude applausûque hominum non excitatur, nec liberali benignitate Superiorum, quam deberi sibi putat, animatur: sed potius pro bono malum, pro gratiis ingratiâ recipit, imò & varia tædia, persecutiones, maledicta sufferre debet; subitò quasi viribus omnibus destituta concidit, & manum aratro Apostolico applicatam retrahit. O imbellis miles! quis tibi de tantis animis, de tam prodigiosa perfectione post tot in Religione transactos annos gratulabitur? nisi niger ille genius, qui à tempore, quo esse cœperas, tibi ad-

ad-



adstitit, & ad ultimum vitæ terminum aderit, & statim post mortem coram Christo Iudice ignaviam tibi tuam exprobraturus est. Hiccine est spiritus S. P. N. & Confratrum tuorum jam à duobus sæculis? qui sudore & sanguine suo quatuor orbis partes irrigarunt. Quid dicent ad hæc Connovirii Collegæ tui? quibuscum tot annis vixisti? qui jam tum ad sanguinis usque effusionem, incarcerationem, omnis generis incommodorum, ludibriorum, tormentorum tolerantiam, læti & alacres Ducis sui Domini nostri Jesu Christi vestigiis pro animabus lucrandis insistunt. Sed hem! sicut S. Thomas Aquinas, SS. nostri Aloysius ac Stanislaus singulare habuerunt privilegium Angelicæ puritatis, ut carnis stimulos non amplius sentirent; ita tu fors privilegium habes, vel tibi arrogas, ut commodis naturæ tuæ semper satisfiat, labores, tædia, contradictiones, adversitates non suffineas, in cūlcitra variæ sensualitatis quietè considerans, & nihilominus magnus sis Apostolus. Scio, sarcasmus iste non sapit. Ergo dic mihi ubi sunt lumina, quæ habuisti? proposita, quæ fecisti jam à Novitiatu usque huc in tot meditationibus, atque spiritualibus exercitiis? si aliis viva imaginatio Christi fortiter pro salute hominum dimicantis tibi dictavit, nil debere videri arduum, quod pro animabus DEO lucrandis exantlatur. Cur renuis ejusmodi denuò vivaci impressione torpentem excitare spiritum? an times, ne nimium pro cælo, pro DEI gloria pro animarum pretioso Jesu Christi sanguine redem

dem



demptarum salute agas? aut nimiam in Virum Apostolicum cadentem perfectionem assequaris? an putas, te hâc ignaviâ gloriosum fore in extremo iudicii die spectaculum coram DEO, Angelis & hominibus? an solatium te exinde habiturum speras in agone, in ultimo mortis articulo, imò totâ retrò æternitate? tu ad tam sublime vitæ genus vocate, tot gratiis hunc in finem à benefica DEI manu cumulate? ô insensate! quis te fascinavit ante oculos Capitanei tui pro te crucifixi? ut, cum primis Religionis annis, ac in primo fervore non timeres manum Tyranni gladium terribiliter vibrantis; nunc turberis ad folium verbi volantis, & ob minimam incommoditatem, aut occurrens tædium animum despondeas. Absit, Domine JESU Dux & Salvator mî, non sic transigentur residui dies vitæ meæ. Nil aggrediar ex præcipite, & malè consulto imperu, discutiam diligenter & præmeditatè media in ordine ad fines vocationis meæ maximè congrua ac salutaria, eadèmq; fortiter exequar, occurrentes perumpam difficultates, & hoc, quod mihi circa salutem ac perfectionem proximi procurandam sancta obedientia in hoc, illo loco, hoc, illo tempore, assignabit officium, frendente in vanum diabolo, adimplebo strenuè. In meditatione meæ exardescet ignis, in eâ fortissimis me armabo motivis, ut in aciem veniens pedem non retraham; sed attingens à fine usque ad finem omnia fortiter ad ultimum vitæ halitum dimicabo, nec in transversum rapiet me indignum illud quorum-

run-



rundam Sensualistarum principium ; quod (si equi duo non jungantur currui, & præter motivum supernaturale ad laborandum impellens, non adsit temporale, fomenta scilicet) detrectandum sit onus, quod imponitur. Videant illi, ad quos attinet, quid in ordine ad vires laborantium refocillandas aut confortandas conducatur : ego, qui necdum vibices, stigmata, vulnera Ducis mei JESU Christi in corpore meo porto, &, prò dolor ! tam parùm hæcenus pro DEI gloria & animarum salute pertuli, imposterum saltem sciam abundare, & penuriam pati, exuam imbellem nimis ac sensualem genium, nec degenerabo à præcellis cogitationibus filiorum DEI.

### D O S T E R T I A.

*Fortitudini in exequendo jungenda  
suavitas.*

**T**ertia proprietas Divinæ Sapien-tiæ & Christi Archistrategi nostri est, quòd fortitudini in exequendis necessariis ad salutem hominum mediis adjunxerit mansuetudinem, adeoque eò certius ac constantius finem intentum obtinuerit. Nihil est magis in Viro Apostolico, pro reducendis hominibus in viam salutis & perfectionis, necessarium, quàm solidus ac stabilis in eorum animos dominatus. Hic autem nullatenus, cum nullum violentum sit perpetuum, acquiri potest à viro utcunque generoso ac forti, nisi per-